

O mors, bonum est iudicium tuum!
Vanitas arguentur præterita.

VI PUNCTUM. — Sextus regula usus.
Mors denique separat hominem a se ipso.

Homo cum mortuus fuerit, nudatus, atque consum-
ptus, ubi quæso est?

Ubi quæso est a se mutuo separatus (Esth. III, 8)?
Ubi et anima et corpus (I Thess. V, 25)?

Corpus? quasi sterquilinum in fine perdetur, et qui
eum viderant, dicunt: Ubi est (Job XX, 7)? cum
enim morietur homo, hereditabit serpentes, et he-
stias, et vermes (Eccl. X, 15).

DUÆ MEDITATIONES DE JUDICIO PRIVATO.

PRIMA MEDITATIO.

De natura hujus iudicii.

PRIMUM PUNCTUM. — De hoc ipso iudicio.

SUMMARIUM. — Iudicii, necessitas petitur ex gloria et
iustitia Jesu Christi; ejus materia omnia hominis
opera, quæ maxime putenda, quæ occultissima, quæ
cordi intima, quæ visa sunt levissima, aut maxime
indifferencia, etiamque optima.

Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem
iudicium (Heb. IX, 27). Omnes stabimus ante tribu-
nal Christ: scriptum est enim: Vivo ego, dicit Do-
minus, quoniam mihi fletetur omne genu, et omnis
lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrum
pro se rationem reddet Deo (Rom. XIV, 10-12):
Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal
Christi, ut referat unusquisque propria corporis,
prout gessit, sive bonum, sive malum (II Cor. V, 10).
Omnes; non enim subtrahet personam cujusquam
Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam: quo-
niam pusillum et magnum ipse fecit (Sap. VI, 8).

In fine hominis denudatio operum illius (Eccl. XI,
29); cuncta que sunt adducet Deus in iudicium pro
omni errato, sive bonum, sive malum illud sit (Ec-
cle. XII, 14).

Hæc dicit Dominus: Judicabo te juxta vias tuas, et
ponam contra te omnes abominaciones tuas. Et non
parcet oculus meus super te, et non miserebor: sed
vias tuas ponam super te, et abominaciones tuas
in medio tui erunt: et scietis quia ego Dominus
(Ezech. VII, 2, 3, 4); ego sum scrutans renes et
corda: et dabo unicuique vestrum secundum opera
sua (Apoc. II, 23).

Scrutabor Jerusalem in lucernis (Saph. I, 12);
nihil enim est operum, quod non revelabitur, et oc-
cultum, quod non scietur (Math. X, 36).

Scrutabor, pertingens usque ad divisionem animæ ac
spiritus, compagum quoque ac medullarum, et disere-
tor cogitationum et intentionum cordis (Heb. IV, 12).

Scrutabor: quoniam omne verbum otiosum, quod

Anima? Anima vero, quoniam adversus Dominum
rebellis fuit, peribit de populo suo (Num. XV, 30);
verbum enim Domini contempsit, et præceptum illius
fecit irritum: idcirco delebitur, et portabit iniquita-
tem suam (Ibid., 31).

Siccine separat amara mors? O mors, bonum est iu-
dicium tuum!

Vanitatis arguentur præterita.

Filii hominum usquequo gravi corde? Ut quid dili-
gitis vanitatem et quaritis mendacium (Ps. IV, 5)?
Quid enim prodest homini si mundum universum lu-
cretur, animæ vero suæ detrimentum patiat? aut
quam dabit homo commutationem pro anima sua
(Math. XVI, 26)?

locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die
iudicii (Math. XII, 36).

Scrutabor: ego iustitias iudicabo (Ps. LXXIV, 2),
præsumentes de se, et de sua virtute gloriantes
(Judith VI, 15), qui in se confidebant tanquam
justi, et aspuebantur cæteros (Luc. XVIII, 9). Vos
estis qui justificatis vos coram hominibus: Deus au-
tem novit corda vestra: quia quod hominibus altum
est, abominatio est ante Deum (Id., XVI, 15).

Hæc dicit Dominus: Statutum est hominibus semel
mori: post hoc autem iudicium; tempus omni rei tunc
erit (Eccl. III, 17). Beatus vir cui non imputatur
Dominus peccatum (Ps. XXXI, 2): beatus qui in-
ventus est sine macula. Quis est hic (Eccl. XXXI,
8, 9)? Quis erit (Judic. XX, 18)? Quis ego sum,
aut quæ est vita mea (I Reg. XVIII, 18)?

II PUNCTUM. — De iudice.

SUMMARIUM. — Iudex Christus est vere Deus, apud
quem cum nihil sit metuendum, quid erunt impius et
peccator? Christus est, beneficus redemptor, adeoque
jure timendus; coque magis quod ex redemptore fa-
ctus inimicus malos male perdet.

Scimus qui dixit: Mihi vindicta, et ego retribuam.
Horrendum est incidere in manus Dei viventis (Heb. X,
30, 31).

Exaltabitur Dominus exercituum in iudicio, et
Deus sanctus sanctificabitur in iustitia (Is. V, 16).
Sanctus et fortis emulato est, nec ignoscet sceleri-
bus vestris atque peccatis (Jos. XXIV, 19).

Numquid justificari potest homo comparatus Deo,
qui apparere mundus natus de muliere? Ecce, luna
etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in
conspectu ejus: quanto magis homo putredo, et fi-
lius hominis vermis (Job XXV, 4, 5, 6)? Ecce, in-
ter sanctos ejus nemo immutabilis, et cæli non sunt
mundi in conspectu ejus: quanto magis abominabilis
et inutilis homo qui bibit quasi aquam iniquitatem
(Id., XV, 15, 16)? Horrende et cito apparet vobis,
quoniam iudicium durissimum (Sap. VI, 6): quæ

niam Deus iudex est (Ps. LXXIV, 8) sanctus Domi-
nus Deus noster (Ps. XCVIII, 9). Iustus et impius
iudicabit (Eccl. III, 17); et si iustus vix salvabitur,
impius et peccator ubi parabit (I Petr. IV, 18)?

Scimus qui dixit: Mihi vindicta; omne iudicium de-
dit Filio, ut omnes honorificent Filium (Joan. V, 22,
23). Ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et
mortuorum (Act. X, 42), qui mortuus est pro nobis.
Horrendum est incidere in manus Dei viventis, qui mor-
tuus est pro nobis (I Thess. V, 10).

Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla misera-
tione, duobus vel tribus testibus moritur: quanto
magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium
Dei contulerunt, et sanguinem testamenti pollutum
duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiæ
contumeliam fecerit? Horrendum est incidere in ma-
nus Dei viventis, qui mortuus est pro nobis (Heb. X,
28, 29); qui dedit semetipsum pro peccatis nostris,
ut eriperet nos de presenti seculo nequam (Gal. I,
4); qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in
sanguine suo (Apoc. I, 5).

Sanguine suo redemit de maledicto legis, factus
pro nobis maledictum. Ipse est qui constitutus est a
Deo iudex vivorum et mortuorum (Gal. III, 13). Hor-
rende et cito apparet vobis (Sap. VI, 6); factus
velut inimicus (Thr. II, 5), malos male perdet
(Math. XXI, 41), inimicos crucis (Philipp. III, 18),
rursus crucifigentes sibi metipsos Filium Dei, et ostenti-
um habentes (Heb. VI, 6). Tunc dicit: Discedite a
me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est dia-
bolo et angelis ejus (Matth. XXV, 41).

Gravatis sententia (Dan. II, 13)! — Quis non ti-
mebit te, o rex gentium (Jer. X, 7), magne, fortis,
et terribilis (II Esdr. IX, 32)?

Crudelis sententia! — Convertimini, filii hominum
(Ps. LXXXIX, 5): fugite a facie gladii, quoniam ul-
tor iniquitatum gladius est, et scitote esse iudicium
(Job XIX, 29). Cum metu et tremore vestram salu-
tem operamini (Philipp. II, 12).

III PUNCTUM. — De reo.

SUMMARIUM. — Agnoscit homo nihil, ut sit in iudicio
hominum, valere posse pro se in hoc iudicio: non
rationem et fortitudinem ad tuendum se, non sapien-
tiam ad quidquam celandum, non excusationes et
preces, non innocentiam reputatam, non patroni ul-
tius opem, non alicujus teritii arbitrium, non spem
ullam aliter satisfaciendi iudici, non repetendi iudicii
rationem aliquam.

Dominus dixit: Numquid irritum facies iudicium
meum? et condemnabis me, ut tu justificeris? Et si
habet brachium sicut Deus, et si voce simili tonas
(Job. XL, 1, 5, 4), quis resistere potest vultui meo?
Non paream ei, et verbis potentibus et ad deprecand-
um compositis (Id., XXI, 1, 5).

Dominus, qui vitæ et mortis habes potestatem, tuam
manum effugere impossibile est (Sap. XVI, 15, 13).
Utinam sic iudicaretur vir cum Deo quomodo iudica-
tur filius hominis cum collega suo (Job XVI, 22).

Neque enim viro, qui similis mei est, respondebo:
nec qui mecum in iudicio ex æquo possit audiri. Si
fortitudo queritur, robustissimus est (Id., IX, 52,
19). Numquid timens arguet te, et veniet tecum in
iudicium, et non propter malitiam tuam plurimam,
et infinitas iniquitates tuas (Id., XXII, 4, 5)? Deus
cujus iræ nemo resistere potest, et sub quo curvan-
tur qui portant orbem: quantus ergo ego sum, ut re-
spondeam ei, et loquar verbis meis cum eo? Vere scio
quod ita sit, et quod non justificetur homo composi-
tus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit
ei respondere unum pro mille (Id., IX, 15, 14, 2, 3).

Ecce, Domine, tu cognovisti omnia (Ps. CXXXVIII,
5); scio quia omnia potes, et nulla te laet cogitatio.
Quis est isto qui celat consilium absque scientia
(Job XLII, 2, 3)? Non sunt tenebræ, et non est nu-
bera mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniqui-
tatem (Id., XXXIV, 22). Ecce enim in celo testis
meus et conscius meus in excelsis (Id., XVI, 20). Ego
sum iudex et testis, dicit Dominus (Jer. XXIX, 25).

Etiamsi habero quiddam iustum, non respon-
debo, sed meum iudicem deprecabor. Et cum invo-
cantem exaudierit me, non credo quod audierit vo-
cem meam. Si justificare me voluero, os meum
condemnat me: si innocentem ostendero, pravum
me comprobabit. Etiamsi simplex furor, hoc ipsum
ignorabit anima mea, et tædebit me vita mea
(Job IX, 15, 16, 20, 21).

Quis non timebit te, Domine (Apoc. XV, 4)? Si
lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mun-
dissima manus meæ: tamen sordibus ininges me
(Job IX, 30, 31).

Unde veniet auxilium mihi (Ps. CXX, 1)? Voca-
ergo, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem san-
ctorum convertere (Job V, 1). Si fuerit angeus
loquens unis de millibus, et annuntiet hominis
aquitatem: miserabitur ejus, et dicit: Libera eum,
ut non descendat in corruptionem: invenit in quo ei
propitius (Id., XXXIII, 25, 24).

Infelix ego homo (Rom. VII, 24)! Nemo audeat pro
me testimonium dicere. Non est qui utrumque vocat
arguere, et ponere manum suam in ambobus (Job
IX, 19, 33).

Impossibile est renovari ad penitentiam (Heb.
VI, 4, 6). Jam non relinquatur pro peccatis hostia;
terribilis autem quedam expectatio iudicii, et ignis
æmulatio, quæ consumptura est adversarios (Id., X,
26, 27).

Neque ultra in hominis potestate est, ut veniat ad
Deum in iudicium (Job XXXIV, 25).

CONCLUSIO MEDITATIONIS.

Excitata se homo ad timorem Dei.

Quomodo mente tractavi, sic eveniet (Is. XIV,
24, 25). Metamur Dominum Deum nostrum (Jer.
V, 24). Præoccupemus faciem ejus in confessione
(Ps. XCIV, 2). Beatus homo qui donatum est habere
timorem Dei (Eccl. XXV, 15); beatus homo qui
semper est pavidus (Prov. XXVIII, 14). Domine,

exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat. (Ps. Cl, 2). Confige timore tuo carnes meas; a iudicis enim tuis timui (Ps. CXVIII, 120).

Metuamus Dominum Deum nostrum. Timor Domini, principium sapientie (Prov. I, 7). Ipsa est sapientia (Job XXVIII, 28). Audi, popule stulte, qui non habes cor; qui labentes oculos, non videtis; et auris, et non auditis. Me ergo non thuebitis, ait Dominus: et a facie mea non dolebitis? Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem huiusmodi non elicescetur anima mea (Jer. V, 21, 22, 29)?

Metuamus Dominum Deum nostrum. Timenti Dominum bene erit in extremis (Eccl. I, 13). Non amuletur cor tuum peccatores: sed in timore Domini esto tota die; quia habebis spem in novissimo, et prebatio tua non auferetur (Prov. XXIII, 17, 18).

II MEDITATIO.

De preparatione ad iudicium.

PRIMUM PUNCTUM. — Preparationis huius necessitas. **SERVANDUM.** — Petitur ex caritate peccatoris in iudicio, ex timore et amore Dei, ex proximitate iudicii, ex patientia Dei qui ad hoc ipsum dat tempus.

Ve his qui perdidit vias rectas, et diverterunt in vias pravas. Et quid facient cum inspicere coeperit Dominus?

Qui timent Dominum, non erant incredibiles verbo illius; et qui diligunt illum, conservabunt viam illius. Qui timent Dominum, inquirunt quae beneficia sunt ei; et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Qui timent Dominum, preparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, dicentes: Si poenitentiam non egerimus, lucidemus in manus Domini, et non in manus hominum (Eccl. II, 6-22).

Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis; non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt (Ephes. V, 15, 16).

Juxta est dies Domini magnus, juxta est et veloc nimis (Soph. I, 14). Adhuc enim modicum aliquantum, qui venturus est, veniet, et non tardabit (Heb. X, 37). Unum hoc non lateat vos, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni: et mille anni sicut dies unus (II Pet. III, 8).

Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti. Quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, expectantes et properantes in adventum diei Domini. Propter quod, carissimi, haec expectantes satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace: et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini (Ibid., 9-15, 15).

Teneamus spei nostrae confessionem indeclinabi-

lem: et tanto magis, quanto valeritis appropinquatem diem (Heb. X, 25, 25).

II PUNCTUM. — *Varia huius preparationis exercitia pro vario mediantis statu.*

Ad invitationem illius, cui reddenda erat ratio sua villicationis, excogitat peccator, quid sibi opus sit facto.

Homine quidam erat dives, qui habebat villicum: et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocavit illum, et ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuae; jam enim non poteris villicare. At autem villicus intra se: Quid faciam, quia Dominus meus auferit a me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubescio. Scio quid faciam (Luc. XVI, 1-4).

Est autem haec parabola. Quid enim faciam, cum struxerit ad iudicandum Deus (Job XXXI, 14); et cum quaesierit, quid respondebo illi?

PRIMUM EXERCITIUM.

Cura purificandi conscientiam.

Scio quid faciam. Ante iudicium interroga te ipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem (Eccl. XVIII, 20). Conserva tempus, et devota a malo (Id., IV, 25). Qui abscondit scelera sua, non dirigitur; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur (Prov. XXVIII, 15).

Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem (Math. V, 25, 26). Da operam liberari ab illo (Luc. XII, 58).

Scio quid faciam. Confitebor adversum me in iustitiam meam Domino (Ps. XXXI, 5): et observabo me ab iniquitate mea (Ps. XVII, 24).

II EXERCITIUM.

De precatio iudicis.

Quid faciam cum struxerit ad iudicandum Deus? Quo a facie tua fugiam (Ps. CXXXVIII, 7). Tempus non erit amplius (Apoc. X, 6). Ecce nunc tempus acceptabile (II Cor. VI, 2).

Scio quid faciam. Meum iudicem deprecabor (Job IX, 15). Tabet animam meam vitio meo: dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animae meae, dicam Deo: Noli me condemnare; indica mihi cur me ita iudices. Numquid bonum tibi videtur, si opprimas me opus manuum tuarum (Id., X, 1, 2, 5)? Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu; et sic repente percipias me? Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum. Licet haec caelestis in corde tuo: tamen scio quia universorum memineris. Si peccavi, et ad horam peperisti: cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris (Ibid., 8, 12, 15, 14).

Parce mihi; nihil enim sunt dies mei (Id., VII, 16).

Parce mihi: redemisti me, Domine, Deus veritatis (Ps. XXX, 6).

Parce mihi; Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit (Ps. CXXIX, 3, 4).

Parce mihi, quia apud te propitiatio est.

III EXERCITIUM.

Satisfactio per opera poenitentiae. Ut avertat peccator iram Dei, sese offert ad vindicandum illum de peccatis suis, mortificatione carnis, lacrymis, compunctione cordis, meditatione et oratione, elemosyna, restitutione, zelo salutis aliorum.

Quid facient, cum inspicere coeperit Dominus (Eccl. II, 17)?

Genimina viperarum, quis ostendit vobis fagere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentiae (Luc. III, 7, 8)? Quod si nosmetipsos iudicarem, non utique iudicarem (I Cor. XI, 31).

Scio quid faciam.

Domine, exaudi me in tua iustitia (Ps. CXLII, 1, 2); et non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. (Ps. LXXXVII, 17) In me transierunt irae tuae. (Math. XVIII, 26) Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

Idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam (Job XLII, 6) in jejuniis, sacco et cinere (Dan. IX, 5). Plorabit anima mea in abscondito (Jer. XIII, 17).

Lavalis per singulas noctes lectum meum (Ps. VI, 7). Reogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae (Is. XXXVIII, 15).

In matutinis meditabor in te (Ps. LXII, 7): sicut pullus hirundinis, sic clamabo: meditabor ut columba (Is. XXXVIII, 14). Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam. Mane astabo tibi, et videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es (Ps. V, 4, 5).

Ecce dimidium honorum meorum, Domine, do pauperibus (Luc. XIX, 8), ut recipiant me in domos suas, in aeterna tabernacula (Id., XVI, 4, 9). Et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum (Id., XIX, 8). Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur (Ps. L, 15).

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua (Ps. IX, 2); narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiae laudabo te (Ps. XXI, 5).

Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei: corripies me, et vivificabis me. Ecce in pace amaritudo mea amarissima (Is. XXXVIII, 16, 17).

IV EXERCITIUM.

Acceptatum a proximo injuriarum sincera remissio. Unusquisque iudicandus a Deo juxta regulam qua ipse iudicaverit inimicos suos; unde concluditur, illis veniam dandam esse, eosdemque pariter esse diligendos.

Quid faciam? Qui vindicari vult, a Domino inveniet

vindictam? et peccata illius servans servabit. Relinque proximo tuo nocenti te: et tunc deprecanti tibi peccata solvantur. Homo homini reservat iram, et a Deo quaerit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur! Ipse cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo (Eccl. XXVIII, 1-4).

Quis exorabit pro delictis illius (Ibid., 5)? Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam; superexaltat autem misericordia iudicium (Jac. II, 13). Nolite iudicare, ut non iudicemini; in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini: et in quo mensura mensi fueritis, remetietur vobis (Math. VII, 1, 2). Si dimiseris hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester caelestis delicta vestra; si autem non dimiseris hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra (Id., VI, 14, 15).

Scio quid faciam. Memento novissimorum, et de sine inimicari; memorare timorem Dei, et non irascaris proximo. Memorare testamentum Altissimi, et despicere ignorantiam proximi (Eccl. XXVIII, 6, 8, 9). Si esurierit inimicus tuus, ciba illi: si sitierit, da ei aquam bibere; prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus reddet tibi (Prov. XXV, 21, 22). Noli vinci a malo; sed vince in bono malum (Rom. XII, 21).

V EXERCITIUM.

Contemptus iudiciorum hominum. Ratio huius contemptus petitur ex eo quod Deus sit solus iudex.

An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem (Gal. I, 10). Unus est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare (Jac. IV, 12). Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timeate eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (Math. X, 28).

Vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris (Ps. LXI, 10). Mihi pro minimo est, ut a vobis iudicet: sed neque me ipsum iudico; nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique a Deo (I Cor. IV, 3-5).

VI EXERCITIUM.

Optio ultionis diutius temporalis, potius quam aeternae. Divina ultio in hac vita salubre est supplementum poenitentiae cum omittitur. Illud expiari debet a Deo, estimari magis, et salutaribus usibus destinari.

Quomodo nos effluigimus, si tantam neglexerimus salutem (Heb. II, 5).

Scio quid faciam. Omne quod tibi applicatum fuerit, accipe, et in dolore susline, et in humilitate tua patientiam habe (Eccl. II, 4).

Exaudi me, Domine, in tua iustitia (Ps. CXLII, 1); corrippe me, Domine: verumtamen in iudicio, et non

in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me (Jer. X, 24). *Exurge, Domine, in ira tua* (Ps. VII, 7): quoniam ego in flagella paratus sum (Ps. XXXVII, 48). *Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, et non supergaudent mihi, nec dicant: Devotivum ego* (Ps. XXXIV, 24, 25).

Dum judicamur autem, a Domino corripimur: ut non cum hoc mundo damnemur (1 Cor. XI, 52). Sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minima esse, flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem et non ad perditionem nostram evenisse credamus (Judith VIII, 27). Beatus homo qui corripitur a Deo; i crepationem ergo Domini non reprobes: quia ipse vulnerat, et medetur; percussit, et manus ejus sanabunt (Job V, 17, 18).

QUINQUE MEDITATIONES DE INFERNO.

PRIMA MEDITATIO.

DE POENA DAMNI.

Explicatur ejus natura per colloquium Christi et hominis penitentis.

Homo penitens petit humiliter ut doceatur quæ sit hujus poenæ natura.

Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi (Is. XXXVIII, 10). Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit (Ps. XCIII, 4); deducit ad inferos et reducit. *Vadam, Deus ultionum* (1 Reg. II, 6); mane astabo tibi et videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es (Ps. V, 5). *Deus ultionum*, confige timent tuos carnes meas; a iudiciis enim tuis timui (Ps. CXVIII, 120). Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare? *Dexteram tuam sic notam fac* (Ps. LXXXIX, 41, 42) et iudicia tua doce me (Ps. CXVIII, 108).

Christus explicat poenæ naturam quæ consistit in hoc quod damnatus ignoretur a Deo, projiciatur ab illo, privetur ejus visione, maledictus sit ab illo, ideoque maneat omnibus malis obnoxius, et omni spe alterius boni excidat.

Cam intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipientis foris stare, et pulsare ostium, dicentes: Domine aperi nobis; et respondens dicit volis: Nescio vos unde sitis. Tunc incipientis dicere: Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. Et dicit volis: Nescio vos unde sitis: discedite a me, omnes operarii iniquitatis (Luc. XIII, 25-27).

Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem (Matth. VII, 12, 13).

Discedite a me, maledicti in ignem æternum, qui paratur est diabolo et angelis ejus (Ibid., XXV, 41).

Exurge, Domine, in ira tua: quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper; quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo (Ps. XXXVII, 48, 49).

Apud me oratio Deo vite mea; dicam Deo (Ps. XLI, 10): Peccavi, et vere deliqui: et ut eram dignus, non recepi (Job XXXIII, 27). *Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his qui invocant te* (Job III, 15).

Non moriar, sed vivam: et narrabo opera Domini. Castigans castigavit me Dominus: et morti non tradidit me (Ps. CXVII, 17, 18).

Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat (Ps. LXXXVIII, 55).

Foris canes, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium (Apoc. XXII, 15). Non videbit quisquam de hominibus generationis hujus pessimæ terram bonam, quam sub juramento pollicitus sum patribus vestris (Deut. I, 35).

Non videbit bonum quod ego faciam populo meo (Jer. XXIX, 52).

Non videbit gloriam Domini (Is. XXXVI, 10).

Usque in æternum non videbit lumen (Ps. XLVIII, 20).

Nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cenam meam (Luc. XIV, 24): ut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam (Ps. XCIV, 11).

Discedite a me, maledicti. Vos non populus meus, et ego non ero vester (Osæ I, 9).

Maledicti.

Vocabuntur termini impietatis, et populus cui iratus est Dominus usque in æternum (Malac. I, 4). Irascetur furor meus contra eum in die illo: et derelinquam eum, et abscondam faciem meam ab eo, et erit in devorationem: invenient eum omnia mala, et afflictiones; ita ut dicat in illo die: Vere quia non est Deus necum, invenerunt me hæc mala (Deut. XXXI, 17).

Dilexit maledictionem, et venit ei; et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo (Ps. CVIII, 48).

Discedite a me. Ego non ero vester. Ego Dominus, et non est amplius. Non est ultra Deus absque me (Is. XLV, 5, 21). Quis contristabitur super te? Quis consolabitur te (Id., LI, 19)? In me gratia omnis vite et veritatis, in me omnis spes vite et virtutis (Eccli. XXIV, 25): et extra me non est alia amplius (Sop. II, 15). Ego sum Dominus et non est absque me Salvator, et non est qui de manu mea eruat (Is. XLIII, 14, 15).

Discedite a me, maledicti in ignem æternum, pleni indignatione Domini (Id., LI, 20).

Homo penitens, tantæ poenæ se obnoxium hæcenus vixisse obstupescit; petit ut ab illa liberetur; quod ex penitentia et amore suo erga Deum sibi confidit jam sibi concessum esse.

Domine, audivi auditionem tuam, et timui (Hab. III, 2): super hoc expavit cor meum (Job XXXVII, 4). Domine Deus salutis meæ, in die clamavi, et nocte coram te (Ps. LXXXVII, 2-4). Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam: quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit; et ego nesciebam (Gen. XXVIII, 16). Circumderunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me (Ps. CXIV, 5);

Et ignoravi (Ps. XXXIV, 15).

Ad te, Domine, clamabo: Deus meus, ne sileas a me: nequando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum. Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. Ne simul trahas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me (Ps. XXVII, 1, 2, 5).

Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam (Ps. XXV, 8, 9).

Dilexi, quoniam exaudivit Dominus vocem orationis meæ; quia inclinavi aurem suam mihi, et in diebus meis invocabo. Circumderunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt. Tribulationem et dolorem inveni: et nomen Domini invocavi. O Domine, libera animam meam!

Miseris Dominus, et justus, et Deus noster miseretur. Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum, et liberavit me. Convertere, anima mea, in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi; quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. Placebo Domino in regione vivorum (Ps. CXIV, 1-9).

II MEDITATIO.

De dolore impiorum ex poenâ damni.

PRIMUM PUNCTUM. — *Dolor mentis.*

Dolor mentis oritur ex perfectissima et semper præsentis cognitione æternæ felicitatis, ejusdemque irreparabilis amissionis.

Poenas dabunt in interitu æternas a facie Domini, et gloria virtutis ejus (II Thess. I, 9, 10); cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt (Gen. III, 8). A facie Domini Dei in medio paradisi: cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis (Marc. VIII, 38), ibunt hi in supplicium æternum (Matth. XXV, 46).

Audite rebelles et increduli (Num. XX, 10). Ibi erit fletus et stridor dentium, cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno Dei, et vos autem expelli foras (Luc. XIII, 28, 29). Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro, et accumbent in regno Dei; filii autem regni ejectionem in tenebras exteriores (Matth. VIII, 12): ibi erit

fletus et stridor dentium. In flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, poenâ dabunt in interitu æternas a facie Domini, et a gloria virtutis ejus (II Thess. I, 8, 9). *Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet* (Ps. CXI, 10).

Peccator videbit, quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentie virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in celestibus (Eph. I, 18-20). *Peccator videbit, et possidere non poterit* (Job XX, 20): quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt: neque corruptio incorruptelam possidebit (1 Cor. XV, 50).

Peccator videbit. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe, et possidere non poterit. Videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet (Is. XXXIII, 17).

II PUNCTUM. — *Dolor voluntatis.*

SUMMARIUM. — *Explicatur hic dolor per colloquium peccatoris damnati et Dei vindicis. Desiderio videndi Deum cruciatu damnatus, et quidem magis quam igne. Desiderium illud reprobat Deum et rejicit. Repulsæ, quam a Deo patitur, rationem exquirat, ejus præteritum amorem cum odio præsentis comparans. Redditur a Deo ratio; contra tamen emittit impius, exagitatus desiderio videndi Deum. Negat Deus illud unquam posse fieri; quare impius sperare cessat, non autem desiderare.*

Desiderium peccatorum peribit (Ps. CXI, 10).

Mortuus est dives, et sepultus est in inferno. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus: et ipse clamans, dixit (Luc. XVI, 22, 25, 24):

Impius damnatus.

Pater miserere mei: crucior in hac flamma.

Quis mihi tribuat audire, ut desiderium meum audiat Omnipotens (Job XXXI, 35)? Obsecro ergo ut videam faciem regis, regis mei qui est in sancto (II Reg. XIV, 52):

Ut videam faciem regis (Ps. LXVII, 25), in quem desiderant angeli prospicere (1 Pet. I, 12).

Domine, ante te omne desiderium meum (Ps. XXXVII, 10). Unam petii a Domino, hæc requiram, ut videam voluptatem Domini (Ps. XXVI, 4). *Crucior in hac flamma; in me sit ista maledictio: (Gen. XXVII, 45): tantum audi vocem meam, et omne, quod imposueris mihi, feram; Tantum audi vocem meam: ut videam faciem regis* (IV Reg. XVIII, 14).

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus: sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ